

1556

Joan. Frū-
ciscus Com-
mendonus a
Pont. Vene-
netias mis-
sus.

Joannis
Francisci
Comendoni,
oratio.

Franciscum Commendonum, Zacynthi Antistitem, qui ab Senatu opem, atque auxilium exposceret, Venetias mittere decrevit. Is, singulis, quæ ab inito Pauli pontificatu acciderant, commemoratis, Patres ad opem ei ferendam gravi, ac vehementi oratione est cohortatus. *Sive enim jus, atque æquitas, sive religio, sive majorum instituta, qui præclarissimam hanc Rempublicam sua virtute pepererant, atque auxerant; sive præsens rerum status in consilium adhiberentur, omnia Pontifici subveniendum esse, suadere. Quid enim æquius, quam summam in terris sustinentem Dei Optimi Maximi majestatem injusto bello laceffitum tueri? ab atrocissimis injuriis Sanctissimam Apostolorum sedem vindicare? Paulum immerito armis vexatum; in urbe obsessum, eos, qui christianum nomen profitentur non absque indignatione, ac lachrymis inspicere. Quis, inquit, erit harum rerum modus? Quousque tandem se se istorum jactabit dominandi libido? Nam si in æquissimas pacis leges consensissent, non eo deventum esset, ut impia arma moverentur. At proculcare pontificiam majestatem volunt, leges indicere; quocumque eos vesana imperandi cupiditas rapit, eo per fas, atque nefas contendere. Neque vero nunc primum repente hæc consilia iniere; sed jamdiu hausta retentaque pectoribus, uti sæpius antea fecere, palam præseferunt. An non ii sunt, qui cum primis Italiae dominatum affectent, nullam occasionem, qua illorum opes, atque imperium in ea auferentur prætermisere? Nam, ut Neapolitanos præteream, an non Insubres, pro quibus acerrime sæpius certatum est, vobis in primis nitentibus, ut Italo Mediolanense imperium Principi traderetur, sibi arripere? An non Florentinorum rempublicam oppressere? Ii sane sunt, qui superioribus annis Placentiam occuparunt; Parmam oppugnarunt; ac nuper Octavium Farnesium illarum Ducem sibi adjunxerunt; Senas in suam potestatem redegere. Ac veluti exiguae illorum in Italia imperii accessiones forent, nunc pontificias ditiones adorti, Latium pene omne occuparunt, Romanam civitatem obsident, religionis Principem e sede deturbare conantur. Tot undique Paulus angustiis septus quosnam imploret? quorum auxilium rebus suis nutantibus postulet, nisi eorum, quorum animis Pontificum Romanorum decus, Italiae libertas sem-*